Le n° 1601 a été omis 1602

DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ ET SANCTO LUCÆ, ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO:

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM, DIE JOVIS III. DECEMBRIS MDCCXVI.

M. AMANDO DOUTE', Regi à Conſiliis, Sereniſſimæ Biturigum Duciſſæ Medico Primario, Facultatis Decano, Præſide.

An mutuum tritûs & fermentationis commercium?

HOMINIS ex lege Hippocratis, mentis indè & corporis, medenti neceſſaria cognitio. Sanitas præcipuus Medici finis. Hunc vir probus minùs raró aſſequetur. Hic morbos animo peculiares, alios corpori proprios, alios utrique communes diſtinguet. Coquorum, Pharmacopolarum, Chirurgorum non ſolis utetur manibus; Muſicorum, Oratorum artes non negliget; ipſiuſmet Religionis opem ipſe religioſus depoſcet. Ethicam & Metaphyſicam ſupponit Ars Medica. His tamen imbuti rari artifices. Medicus, ſenſualis nimis Philoſophus, abſtractiores negligit ſcientias; hujus ſegniùs irritant animum demiſſa per aurem, quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus, & quæ ſibi tradit ſpectator. Corporis humani ſentitur nutritio, auctio, motio; ex inediâ ejuſdem macies & tabes cum horrore videtur; alimentorum inde cognoſcitur neceſſitas. Hiſce functionibus inſervientium organorum ſitum indicant, ex appetitu naturali naturales relationes. Horum figuram parteſque integrantes explicat Anatomia. Ex ea nil niſi fluens & ſolidum innoteſcit. In utriſque apud veteres nulla virtus. Spiritus hinc & Facultatum utile figmentum. Apud neotericos in fluentibus; apud recentiores in ſolidis ſola potentia. Tot diverſarum opinionum parens præjudicata ciborum & corporis ingens diverſitas. Nutritioni apud plurimos chyloſis, haimatopoieſis, & homoioſis. Apud paucos & ſapientiores ſola prima requiritur. Functionum œconomiæ animalis principium & cauſa motus. Hic mera virtus Dei applicata ipſiſmet corporibus. Illa ſolis ſolidis impertita, fluidis communicata tantùm, ſolida non determinantia, ſed dirigentia. Fluida ordinata non impetum facientia, non circùmeuntia, ſed circùm impulſa. Unus igitur tritus. Nulla proinde fermentatio. Hæc à quibuſdam aſſeritur, ille ab aliis demonſtratur. Corpus olim ſuperbarum erat facultatum ſedes, nunc haud minùs injurioſè fermentorum officina ab aliis, ab aliis mechanicorum inſtrumentorum theatrum decantatur. Unicuique ſuæ ſententiæ pervicax nimis & uxoria defenſio. Labi, errare, neſcire nemo fatetur. Pravus indè altercandi contendendique mos, quem tollere fruſtra laborant, qui minùs veritati, quàm libidini quaſi ſervientes, conſtantis unius, omniaque præſtantis tritûs, cum fermentatione impoſſibili, inutile poſtulant matrimonium.

OMNE corporis humani ſolidum ex canaliculis conicis & elaſticis, quos arterias vocamus, ex iiſdemque propagatorum ductuum, in retis formam intextorum filis coagmentatur. Caro, membranæ, oſſa, corpus univerſum, unius tubi organica fabrica. In hâc artificioſâ machinâ conſenſus unus, conſpiratio una, conſentientia omnia; in ea varii motus & actiones obſervantur, illi in certâ vaſorum continuatione, fluentiumque humorum quâdam conditione conſiſtunt; ſed quænam eſt illa conditio: num fermentatio? minimè gentium. Concipis prædictum naturæ in componendis organis artificium? Impoſſibilem ergò concipies fermentationem. Humorum præcipuus ſanguis chylo oneratus. Omnium fons & ſcaturigo. Hunc fermentationis expertem, fermentationis ipſa declarat definitio. Iſta eſt: *Operatio naturalis, in quâ quædam partes acidæ præprimis proſapiæ cum oleoſo-viſcoſis particulis, accedente tepido calore, in motum inteſtinum lentè procedentem incidunt, uſquequo ſalinæ cum oleoſis particulis conjunctionem inierint, vel donec quod fermentandum fermento quoad indolem planè ſimile fuerit.* Quid eſt motu inteſtino donari liquorem ſemper circulariter actum? nullus liquor minùs fluidus quàm ſanguis; corpus merè fibroſum eſt, partibus quibuſdam ſeroſis dilutum. Hoc ſublatâ vi motrice ſtagnat. Ingens & maxima vis illa, & quidem neceſſaria eſt. Infinitæ per ſuum curſum ſanguini, cujuſlibet ſecretionis opibus diviti, ſuperandæ ſolidorum reſiſtentiæ; undenam tantum igitur robur? Non ipſi fermenteſcenti cruori cum ficto aëris nitro tribuendum. Spiritibus & negandum, nulli etenim ſunt. Fluida noſtra non tam mordicus rimeris, horum enim exigua potentia. Ex ſolâ vaſorum ſtructurâ petenda eſt hæc poteſtas. Non plumbei noſtri canales, non hebetia quibus conſtant ſtamina. Scalpello manum admove. Fibras in corde rectas, ſpirales diverſo modo poſitas, ventriculos valvulis & tendinibus aſperos, majorem in ſiniſtro, quàm in dextro reſiſtentiam, in arteriis membranas veluti decuſſatas reperies. Cui bono tam mirabilis mechanica compoſitio? ſi merè paſſiva. Ex minimorum cordis & arteriarum, peculiari & innatâ compage pendet in utriſque motus reciprocus diaſtoles & ſyſtoles, quo mediante perpetua ſanguinei laticis agitatio. Hâc porrò fermentationi nil magis contrarium. Hinc apud fermentatorum coryphæos ſtabilitur axioma: *Stante circulatione tunc nec in corde nec in maſſâ ſanguineâ fit ulla fermentatio.*

SI quæ itaque naturaliter inſit in noſtris corporibus fermentatio, extra orbem ſanguinis tota peragitur. Quæcumque nobis ſunt quietis aut minoris motûs capacia viſcera, ea ſola fermentando paria. Quæ quæſo reperire eſt? Ventriculum cave ne dicas, inteſtina ne nomines. Utraque vel per vomitum vel per ſeceſſum eam ejicient. Rem fermentandam continuò agitare ſaxum Siſyphi volvere eſt. Alimenta in ventriculo ſemper quatiuntur; ventriculus magnum corporis torcularium, prælum potiùs publicum. Ille eſt muſculus concavus (idem de inteſtinis judicium) multiplici fibrarum elaſticarum ordine compoſitus. Ipſius vis à diaphragmate cui adhæret augetur. Reciprocus muſculorum abdominis motus tum in animalibus rectis, cùm & in pronis non requiritur, ſed confert. Favent à diviſione externæ alimentorum præparationes. Harum inſtrumenta, ignis in quibuſdam, in aliis rejectâ coctione, communia utriſque labia, dentes & ſaliva. Inter alimenta ex animalibus & vegetabilibus petita maxima ſimilitudo. Neque enim inter animal & plantam aliud diſcrimen intereſſe videtur, quàm quòd planta inteſtinis careat, ſive (quod ad idem redit) iiſdem extrorſum verſis gaudeat, lacteaſque in cortice gerat. Chyloſis ſola ciborum in ventriculo elongatio. Corpora nutrientia à nutriendis ſpecie non differunt, hinc facilis horum in illa mutatio. Simile ſimili nutritur. Chymica ciborum in ventriculo ſi adſit ſolutio, cur partibus integrantibus, ut ſæpiſſime fit, imprægnatur? Deficiens fermentum ſubtiliter accuſatur, ſed veriùs diceretur abſens, non in alimentis, non in ſtomacho reperiendum. Illud vel inſitum vel adſcititium fingatur, maxima ſequentur abſurda. Succus gaſtricus diluentis vices tantùm gerit. Saliva à ſale dicta. Ut in piſcibus marinis aquâ ſalsâ natantibus nil ſalis ſanguini commiſcetur, ſed per anum ſub formâ criſtallorum ejicitur; ita ſalivæ Sal cruori non communicatur. Hæc merè lympha ſeu inanis pituita apprimè diluit. Ejus frequens ſputatio nocet non ſalis acidi deperditione, ſed aquei potiùs laticis detrimento. Facta circa eandem experimenta nil reſpectu noſtri concludunt.

A Varietate ſyſtematum Medicina non præſtantior. Inanis ſimiola fuit, quæ Medicos omni ætate compulit ad ſectas condendas, potiùs quàm ad nova detegenda phœnomena, quæ morborum hiſtoriam illuſtrarent confirmarentque. Uni tamen hypotheſi, & præcipuè ab Antiquorum doctrinâ parùm recedenti, non adhærere, ſed obſecundare haud inſulſum eſt. Syſtema tibi ſerviat, non tam ad fingendos naturæ effectus, quàm ad jam pridem cognitos ritè explicandos. In tritu & fermentatione, non mera diverſitas. Adeſt incompatibilitas. Illius in quibuſdam animalibus concipitur exiſtentia, hujus in nullis judicatur. Poſito tritu corruit fermentatio. Illum ſtabiliunt viſcerum ſtructura & motus; hanc eadem deſtruunt. Trituratio fermentationis conſortio non indiget. Sola omnibus noſtri corporis functionibus præeſt. Functiones ad ſecretionem commodè reducuntur. Ubi embryo ſecernere incepit, tunc mater filiorum lætans, ſe concepiſſe gaudet. Embryonis ſecretiones inchoat fœcundans ſemen virile, perficit nutriens & augens ſanguis menſtruus, cujus ſuppreſſio naturalis genuinum gravidæ mulieris indicium eſt. Secretio non eſt puri ab impuro ſeparatio; ſed recrementorum, partium nempe ſolâ quantitate & craſſitie (id eſt mole) peccantium ſegregatio. Ei ſufficit vaſorum occillatorius motus, proportionata fluidi velocitas, partis ſecernentis ſitus à vi motrice plus minuſve remotus; pori diverſæ figuræ falsò ſupponuntur. Filtra tantùm partibus ſecernendis commenſurabilia requiruntur. Chylus omnium ſecretionum penus. Ille in has omnes ferè conſumitur. Humorum quos nobis ſuppeditant, nulli noxii, nulli excrementitii, nulli abſolutè inutiles. A rebus non naturalibus, aëre, ſomno, vigiliâ, motu, quiete, venere pendent; ſed à cibis potiſſimùm. Quale & quantum alimentum, talis & tanta in corpore ſecretio. Hujus ergo nulla ſunt analoga occulta in glandulis nunquam demonſtrata fermenta. Poſitâ circulatione ſanguinis nullæ percipiuntur glandulæ. Infans in utero matris nutritur, movetur, augetur, abſque fermentationis auxilio. Cur adultus eodem ad idem indigebit? In illius ſecretionibus varii ſapores, odores, ſales etiam quidam percipiuntur. Hæc omnia à ſola trituratione. Quid ad hujus planè ſimiles functiones deſideratur inutilis fermentatio?

EX ſolidorum cum ſolidis proportionato motu, juſtâ fluidorum cum fluidis ad partes appellentibus reſiſtentiâ corpus inter & animam naſcitur æquilibrium. Illud vel ab animæ imperio, vel ab externis corporibus plùs minùſve tollitur; varii inde in organis motus, variæ in anima ſenſationes. Harum perceptio vigilia, ignorantia ſomnus. Molis in ſpiritibus animalibus, pororum in nervis diverſitas inutilis. Sanguis analyſibus chymicis incaſſum committitur. Nulla prorsùs ex eo elicienda principia ad fermentationem excitandam. Falſa acidi in cruore præſentia. Falſa ejuſdem ignis ope eductio. Nulla fingit ignis principia; huic inde illud ſal acidum non concedendum, ſed argillæ nunquam bene calcinandæ reſtituendum. Chymicè & mechanicè conſiderare corpus humanum impoſſibile eſt. Chymica in ſe ſuſcipit rerum heterogenearum quæ in corporibus naturalibus latent & implicantur, ſeparare & extrahere, corporaque ipſa impedita liberare, immatura perficere. Nullæ ſunt in noſtro corpore heterogeneæ partes, nullæ impuræ, quædam revera immaturæ, ſed ab ipſa non perficiendæ; inſtrumentis quibus utitur nulla fides adhibenda, viæ enim atque rationes quæ ducere putantur ad hos fines tam in theoriâ quàm in praxi, erroris & nugarum plenæ ſunt. Quibuſlibet Authoribus ne credas; neque traditio ipſorum ut plurimùm candida eſt, ſed artificiis & latebris minuta. Mechanica eſt ſcientia conſtans ex naturæ legibus deprompta. Ipſiuſmet cauſa exemplaris corpus humanum eſt. Trochlearum, ſcytalarum, vectium miramur effectus in externis corporibus, at in noſtro corpore earumdem machinarum ut ita dicam matrum certiora & mirabiliora negligimus phœnomena. Fermentationem non afferant, qui *ſal quodpiam acidum, oleum viſcoſum, ſufficientem humidi copiam, liberiorem aeris acceſſum* nobis demonſtrare dicunt. Salis inveniendi conatus inutiles nullo modo laudandi. Sed eſto: hoc gaudeat maſſa ſanguinea, ſint ſulphureæ partes cum quibus lentè congredi poſſit; ubinam certaminis paleſtra! *Locus quietus* nullus. Illum ſupponamus, nulla tamen fermentationis ſpes. Cruor vel venæ vel arteriæ ſectione extractus, in patella immobili receptus, aeri liberiori, igni moderato, ut calor tepidus excitetur, mediante vel aquâ vel arenâ expoſitus, non fermenteſcit. Cur? omnia licèt ad fermentationem requiſita in- & adſint. Non multiplicanda entia ſine neceſſitate. Quæcumque in noſtro corpore miraris, hæc ſolus præſtat tritus, ſufficiens, fermentationiſque hoſtis acerrimus.

Ergo non mutuum tritûs & fermentationis commercium.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Salvator Cluſcard.
M. Claudius du Cerf.
M. Joannes-Baptiſta Enguehard, Scholarum Profeſſor.

M. Claudius Vergne.
M. Ludovicus Guillot.
M. Joannes-Baptiſta Fermelhuis, in Regiâ Artium Academia Socius Honorarius.

M. Joannes-Baptiſta Dodart, Sereniſſimæ Principiſſæ Dotariæ de Conti Medicus ordinarius, & Sereniſſimi Delphini, dum viveret, Medicus.
M. Philippus Douté, antiquus Facultatis Decanus.
M. Amandus Douté, Regi à Conſiliis, Sereniſſimæ Biturigum Duciſſæ Medicus Primarius, Facultatis Decanus & Præſes.

Proponebat Pariſiis LUDOVICUS DE SANTEUL, Pariſinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1716. à ſexta ad meridiem.

Typis J. QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.